

3. Si in fide temporali nihil desideratur, quam, quod deficiat in afflictionibus, *Matth. XIII, 20. 21. Luc. VIII, 13.* extra controversiam est, eandem, non specie, essentia, ac tota natura, sed duratione saltem, differre a fide salvifica, quæ cum patientia fructum profert, *Luc. VIII, 15. Matth. XIII, 23.* & difficultates omnes superat, *Rom. VIII, 34. 38. 2. Cor. IV, 16-18. 1. Job. V, 4. Rom. V, 1-5.*

4. Contradicit sibi ipsi Dn. Auſtor, concedendo, temporaria fide præditos, gustare futuri seculi virtutes. At, fodes! per quodnam medium apprehensionis? nonne per veram fidem? a qua iterum deficiunt? *Hebr. VI, 4. 5. 6.* si perseverarent, possent cum aliis, in fide perseverantibus, edere ac bibere ipsum cibum ac potum vitæ æternæ in secula seculorum, *Joh. IV, 14. Cap. VI, 33. 35. 50-58. Cap. X, 28. Apoc. II, 10.*

Pag. m. 160. Aphorismus 5.

Fides justificans & salvifica est electorum propria.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Non fluit ex electione, sed electio, intuitu fidei justificantis & salvificæ perseverantis, facta est, *Act. XIII, 48. Tit. I, 1. Rom. IX, 16-18. Cap. XI, 32. Joh. I, 12. Cap. XI, 25. 26.*

2. Qui credunt perseveranter, *Apoc. II, 10.* dati sunt CHRISTO a Patre, *Joh. VI, 37.*

3. Ratio, quod aliqui non credant, est, quod non sint oves Christi, (non ordinatio DEI absoluta) &, quia sunt a Patre, Diabolo, & desideria Patris sui volunt facere, *Joh. VIII, 44. 45. Cap. X, 26.*

4. Non soli electi justificantur, licet soli glorificentur, *Rom. VIII, 29. 30.* nam *περὸσκαίροι*, qui circa fidem naufragium faciunt, justificantur etiam, *Luc. VIII, 13. 1. Tim. I, 19. Rom. V, 1.*

5. Per